



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

1 Quid & quotuplex sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Verius tamen est, etiam hoc interdictum posse suspendi ab eo, qui illud tulit. Quod à fortiori sentit Nauarr. cum idem de excommunicatione asserat, & expresse id docet Couarr. Et ratio est eadem, quæ de aliis interdictis, quia hoc nullo iure prohibetur, & alioqui veluti ex natura rei effectus sententiæ penderet ex voluntate ferentis. Quare nulla ad hoc requiritur iuris dispensatio, quæ Summo Pontifici referuata sit: quia hic non agimus de privilegio perpetuo celebrandi, aut participandi diuinâ tempore interdicti, quod Summus Pontifex solus concedere potest: sed de suspensione alicuius effectus, qui à voluntate ferentis penderet. Quocirca, non solum potest suspendi hoc interdictum postquam quis à contumacia regessit, tunc enim potius tollendum est; sed etiam ea durare, quia sæpe possunt occurrere rationabiles causæ ad huiusmodi suspensionem faciendam, vt per se patet. Neq. solum quoad alios effectus, sed etiam quoad celebrationem Missæ potest huiusmodi interdictum suspendi, non quia per hoc concedatur, vt sine peccato celebret qui est in peccato; sed solum vt talis suspensio efficiat, ne per Ecclesiam specialiter prohibitis, seu interdictis sit. Quo etiam fiet (quod Syluest. non aduertit) vt, licet fortasse peccet celebrando, non tamen irregularis fiat: quia pro tunc non agit contra censuram: Poterit etiam contingere, vt non peccet, si coram Deo sit bene dispositus, & ab iniquitate recessit, quamuis apud Ecclesiam nondum satisfacere poterit.

Hic vero se offerebat obiectio, quia hoc interdictum personale, & excommunicatio æquiparantur: sed excommunicatio non potest suspendi: ergo neque hoc interdictum. Ad quam Nauarrus respondet negando minorem. Sed quia opposita est communis sententia, & magis consentanea iuri, vt supra vidimus, negamus has censuras æquiparari in omnibus, & specialiter in hoc; quia iura significant id esse speciale in excommunicatione, c. Cum desideres, de Sent. excommunicationis, cum aliis: nam excommunicatio acerbior est poena, & quoad hanc partem magis odiosa & ideo volunt iura, vt vel omnino auferatur, vel omnino suum effectum habeat.

DISPUTATIO XXXIX.

De cessatione à diuinis.

INTER spirituales poenas, & inter alia remedia, quibus Ecclesia vti solet ad corripiendos filios inobedientes, & contumaces: vna est, quæ cessatio à diuinis appellatur, vt constat ex iuribus, quæ inferius referemus, & ex quotidiano vsu Ecclesiæ. Vnde non est quod disputemus, an hæc cessatio sit licita, vel expediens: vtrumque enim satis confirmat Ecclesiæ vsus. Et ad illud prius sufficit, quod non est contraria alicui præcepto diuino: nam, licet ex diuino iure sit, vt diuina officia in Ecclesia celebrentur, non tamen illud obligat, vt vbique, & semper fiat: & ideo aliquando, seu in aliquo loco cessare, nec est per se malum, neque extramateriam Ecclesiastici præcepti. Ad secundum autem, scilicet, vt hoc sit expediens, multa concurrere necesse est, quæ iudices Ecclesiastici prudenter obseruare debent, & in sequentibus explicabuntur. Hæc ergo cessatio.

Fr. Suarez tom. 5.

tio, si censura est, sub interdicto comprehenditur, ne numerus specierum censuræ augetur contra responsum Pontificis in cap. Querenti, de Verb. significat. Si vero non est censura, maximam habet cum interdicto affinitatem: & ideo disputatio hæc oprime huic loco accommodatur. Nam per se necessaria est huius poenæ cognitio ad res morales, & ad huius materiæ complementum, & per comparisonem ad interdictum facillime intelligitur. Et ideo Doctores, qui fere cum interdicto hanc poenam inuoluunt, pauca de illa dicunt, quos quidem imitabimur: curabimus autem distincte rem totam exponere. Et primo videbimus quid cessatio sit. Deinde, quos effectus, & causas habeat, & quomodo tollenda sit.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit cessatio à diuinis, & quomodo ab interdicto differat.

QUOD ad nomen attinet, constat cessationem à diuinis sic dictam esse, quia eo tempore quo hæc poena fertur, cessant ministri Ecclesiæ à publica celebratione diuinorum officiorum, & Sacramentorum administratione. Et ideo dici solet hæc cessatio suspensio quædam organorum Ecclesiasticorum per allusionem ad illud Psal. 136. In salubribus in medio eius; suspendimus organa nostra: quia hoc est veluti maximum signum afflictionis, quam Ecclesia patitur, quando omnia diuina officia ita suspendit, vt notauit Soto in 4. d. 22. qu. 3. artic. 2. Ex quibus constat, appellationem hanc ab effectu sumptam esse: nam illa cessatio effectus est huius poenæ: ipsa autem poena consistit in illo vinculo, quo astringuntur ministri Ecclesiæ, & obligantur ad cessandum à diuinis. Et de hoc vinculo præcipue inquirimus quid sit.

Ad hoc autem declarandum primo videndum est, an hoc vinculum, seu poena sit propria censura: nam autores in hoc varij sunt. Coua. in cap. Alma, p. 2. §. 2. in princ. eam vocat iuris Pontificij censuram; eodem fere modo loquitur Soto d. q. 3. art. 1. vbi quinque numerat censuras, quarum vna est cessatio à diuinis. Et videtur hoc efficaciter probari ex definitione censuræ in princ. huius operis posita: nam hæc cessatio est poena Ecclesiastica, & priuat spiritualibus functionibus, & ponitur propter contumaciam vt ab illa recedatur; atque ita etiam est medicinalis poena, quæ per ordinariam potestatem Ecclesiæ tollitur, sicut imponitur: ergo nihil illi deest ad veram rationem censuræ. Alij nihilominus negant hanc poenam esse censuram. Ita tenet Nauarrus in Summa cap. 27. num. 164. & 188. nullam autem aliam rationem affert, nisi quia cessatio non est, nisi ipsa omisio officiorum, iuxta Panormitanum in cap. Dilectus, de Appellationibus numer. 18. Quam rationem, & sensum propositionis assumptæ vix percipio: nam hæc poena, pro vt ab Ecclesia imponitur, non est ipsa actualis omisio diuinorum officiorum: potest enim aliquando Ecclesiasticus iudex iuste præscribere cessationem: & nihilominus ministros Ecclesiæ, de facto non omittere diuina officia, in quo grauius peccant, quod est signum, sententiam fuisse validam, & poenam re vera impositam: cum ergo omisio diuinorum de facto non sit subsecuta, non consistit hæc poena formaliter in ipsa ommissione facti, sed

Excluditur
quasi qua-
dam.

At, sed in vinculo impediende actionem, ex quo se-
qui debet talis omisio. Si autem respondeatur, per
omisioem intelligi vinculum omittendi, male in-
de inferitur non esse censuram; nam etiam interdi-
ctum est vinculum omittendi diuina, imo & omnes
censuræ cum proportionem sunt vincula, quæ obli-
gant ad aliquas omisiones, seu priuationes.

Soto.

Nec minus obscurum est dictum Panormitani,
quod Nauarr. allegat, & Syluester sequitur Interdi-
ctum, i. qu. i. ait enim, hoc differre inter cessationem,
& interdictum, quod interdictum est quid iuris, ces-
satio autem solum est quid facti. Quod dictum, So-
to dicto artic. secundum ita interpretari videtur, ut ces-
satio dicatur esse quid facti, quia nunquam fertur i-
pso iure, sed semper ab homine: interdictum vero
esse quid iuris, quia etiam ipso iure fertur. Sed non

Excluditur
Soti inter-
pretatio.

fuit hæc mens Panormitani, quia omne interdictum,
etiam quod ab homine fertur, censet esse quid iuris:
nam & de sententia interdicti absolute loquitur, &
ratio quam reddit generalis est, scilicet, quia per ta-
lem sententiam locus supponitur interdicto, ita ut
ille, qui celebrat irregularis fiat. Vnde & conuerso
non ideo ait cessationem esse quid facti, quia non
fertur ipso iure, sed quia solum est ipsa suspensio or-
ganorum, in quo significat sententiam Nauarr. &
eadem habet difficultatem. Adde, quod, licet de fa-
cto nulla cessatio à diuinis inueniatur ipso iure lata,
tamen non repugnat ferri aliquo statuto, vel lege:
ergo ex se etiam in illo sensu potest esse quid iuris.
Alius ergo fuit sensus Panormitani, quem infra de-
clarabimus.

Vera resolu-
tio.
Ca. Quar-
ti, de Verb.
signif.

In hac re mihi est moraliter certum, cessationem
non esse censuram omnino distinctam ab illis tri-
bus, quas hactenus tractauimus, propter capit. Qua-
renti, de Verbor. signif. prout latius expendi, & pro-
bati in disp. i. sect. 3. huius libri. In quo displicet mi-
hi opinio Soti, cui consentit Couarr. dicens, ces-
sationem esse aliam censuram interdicto similem: nã
si censura est, non est alia, sed eadem, quia manife-
stum est nec suspensionem, nec excommunicationem
esse; quod si interdictum non est; nec censura
est: Quia quod sub nulla specie inuenitur, nec sub
genere existit. Videndum ergo superest, an cessatio
sit interdictum. Quod, ut distinctius fiat & relata
opinionem magis intelligantur: & iudicium de eis fe-
ramus, aduerto cessationem à diuinis nunquam ferri
directe, & absolute in personas, sed in loca tantum.
In quo differt ab interdicto generatim sumpto. Ita
sumitur ex omnibus Summis verb. Cessatio à diui-
nis, & ex Panormitano, Nauarr. Couarr. & Soto locis
citatis, & aliis autoribus, quos ipsi referunt. Nam,
licet priorem partem negantem expresse non Pon-
nant; tamen solum faciunt mentionem cessationis
localis, ut sic dicam, solumque distinguunt eam in
ordine ad loca. Vnde plane sentiunt nullam esse ces-
sationem personalem. Et eodem modo hoc sumit-
ur ex iuribus, quæ de hac cessatione loquuntur:
semper enim mentionem faciunt solius cessationis
localis, ut paulo post referemus. Ratio etiam id per-
suadet, quia ex vi cessationis nunquam prohibentur
personæ ubique celebrare diuina, sed tantum in a-
liquo loco, quem respicit cessatio, ut constat ex vsu
Ecclesiæ. Item, quia talis cessatio in nullo differret
ab interdicto personali: quia hoc interdictum obli-
gat personam, ut ubique cesset à diuinis officiis pu-
blicis: nam à priuata recitatione officij canonici non
remouet; quam omisionem etiam cessatio non in-
ducit, imo neque illam permittit, si alias erat obli-
gatio recitandi, nulla est ergo cessatio à diuinis dire-
cte, & absolute cadens in personas, quæ sit aliquid
distinctum ab interdicto personali.

Cessatio à
diuinis nun-
quam ferri
directe
in personas.

Panormit.
Nauarr.
Couarr.
Soto.

Cessatio à
diuinis alie-
ra est parti-
cularis, ge-
neralis alie-
ra.

Rursus cessatio loci in particularem & genera-
lem distinguitur. De generali loquitur Clementina
i. de Verbor. signif. & de eadem tacite exponere vi-
detur alia iura, scilicet, capit. Irrefragabilis, & Caterum,
p. 1.

de Offi. ordin. & capit. Si canonici, & capit. Quamuis,
eodem tit. in 6. in quibus est sermo de cessatione,
quæ ponitur à Canonici, seu à Capit. vel Collegio
habentibus ab hoc potestate ex consuetudine, vel
alio modo, quæ potestas interdum se extendit ad
ponendam cessationem generalem in ciuitatibus,
vel terris, ut in dict. Clem. dicitur. De speciali vero
videtur esse sermo in capit. Dilectis de Appel. vbi so-
lum in Ecclesia Altifod. dicitur cessatio lata quod
posset intelligi de tota ciuitate, ut aliqui exponunt,
sed proprius intelligitur tantum de Ecclesia matrice, ut
exponit Gloss. in dict. Clem. i. verb. Generalibus. Dif-
ferunt autem hæc duæ cessationes in primis in locis,
circa quæ versantur, eodem modo, quo similia in-
terdicta distinguuntur, ut Syl. verb. Cessatio, dicit; &
Panormitanus, & alij dicant.

Inter has autem duas cessationes quidam ita di-
stinguunt, ut cessationem particularem negent esse
propriam censuram: generalem autem dicant esse
eandem censuram cum interdicto. Quam opinio-
nem aliqui tribuunt Syluest. supra numer. i. quia di-
cit cessationem generalem æquiparari interdicto,
non vero particularem. Sed re vera id non tenet:
nam inferius ait, illam æquiparationem non intel-
ligi in omnibus, sed solum in casu expresso in dicta
Clementina, scilicet in hoc, quod religiosi sub ex-
communicationis sententia ipso iure lata eodem
modo obligantur ad seruandas cessationes genera-
les, sicut generalia interdicta. Sine causa ergo aliqui
ex eo textu colligunt cessationem generalem esse
censuram, seu speciem interdicti generalis: sed potius
oppositum potest probabiliter colligi, tum, quia di-
stinctio de illis sit sermo; tum etiam quia non con-
tinetur Pontifex vniuersali præcepto tradito quoad
interdicta generalia, illud extendit ad cessationes
generales: ergo intellexit cessationem generalem
non esse interdictum, nec speciem eius, nam, si esset
species, sub genere comprehensa fuisset, neque vlla
postea facta fuisset extensio. Item sine causa Sylue-
ster ex hoc textu colligit differentiam inter ces-
sationem generalem, vel particularem quoad æqui-
parationem cum interdicto: nam re vera nulla col-
ligitur, si cum proportionem loquamur. Nam in illo
textu non est sermo de interdicto particulari, sed
tantum de generali, vnde mirum non est quod ex-
tensio fiat ad cessationem generalem, & non ad
particularem, & quod in hoc æquiparentur interdi-
cto generali cessatio generalis, & non particularis.
Non vero inde sequitur, cessationem particularem non
æquiparari interdicto proportionato, scilicet parti-
culari: nam in illo textu nihil de hoc dicitur, & op-
positum colligi potest quantum ad præceptum, &
censuram ibi latam scilicet, quod si non incurrit
illam excomm. religiosus violans interdictum parti-
cularis Ecclesiæ, ita nec violans cessationem parti-
cularem: quod valde notandum est.

Ex his ergo satis constat, opinionem illam distin-
guentem cessationem generalem, & particularem
in ratione censuræ, vel interdicti nullo iure fonda-
tam esse, imo, si attendamus modum loquendi iu-
ris in dict. ca. Dilectis, de App. potius cessatio particu-
laris, dici posset species interdicti, & hac ratione
propria censura: licet enim ibi dicitur, Interdictum bu-
susmodi promulgauit vt Episcopo in ciuitate presente à
diuinis in Altifodorense Ecclesia cessaretur. Vbi parti-
cularis cessatio interdictum appellatur, & Glossa ibi
intelligit de proprio interdicto, & Abbas ibi. Et vi-
detur probari, quia Pontifex non semel tantum,
sed sæpe in eo textu poenam illam interdictum ap-
pellauit; quam tamen ex eodem textu, & ex Glossa
citata in dicta Clementina i. de Sentent. excommu-
nic. constat, fuisse quandam cessationem à diui-
nis. Vnde posset aliquis occasionem sumere dicendi
è contrario cessationem particularem esse censu-
ram, & proprium interdictum; generalem autem
minime

minime propter dictam Clementinam. Verum hec A
sententia neque autorem habet, nec probabilitate,
quia apud omnes est indubitatum maius esse vin-
culum cessationis generalis, quam particularis,
quia cessatio generalis includit quicquid particu-
laris, & addit aliquid saltem extensiuè quoad loca;
quoad alios vero effectus aut personas in nulla re
superatur à cessatione particulari: nec quidquam
potest cum probabilitate assignari: ergo nulla ra-
tione dici potest cessationem particularem esse ve-
ram censuram interdicti; & non cessationem gene-
ralem. Videtur ergo concludi à fortiori ex d. c. *Dile-*
ctus, cessationem generalem esse interdictum, atque
adeo hanc penam non addere nouam censuram,
sed esse quandam speciem interdicti, quæ propter
diuersos, seu plures effectus speciali nomine appel-
latur. Atque ita loquitur absolute de cessatione
Maiolus libr. 3. cap. 20. dicens, cessationem esse
quandam speciem interdicti, & ait hoc indifferen-
ter de vtraque, quamuis statim aliam differentiam
inter eas constituit, non satis consequenter, vt
iam dicam.

*Præcipuum discrimen inter cessationem à diuinis,
& interdictum.*

O Bstat vero contra hunc dicendi modum discrimen aliud, quod communiter assignari solet
inter cessationem à diuinis, & interdictum, quod
hic necessario examinandum est. Nam si illud est
verum, optime declarat, cessationem à diuinis nec
interdictum esse, neque omnino censuram. Et autem
discrimen, quia interdictum ita afficit locum, vt
qui in illo celebrauerit in casu, aut modo non con-
cesso, irregularis fiat, vt in superiori probatum est.
At vero cessatio non habet hunc effectum: nã licet,
quis peccet celebrando in loco, vbi cessatur à diui-
nis, non fit irregularis. Quæ sententia quoad cessa-
tionem particularem est communis Canonistarum,
vt constat ex Glossa secunda in cap. *Si Canonici*, de
Offic. ordinat. in 6. Hostiensis, in cap. *Irregularis*, de
Offic. ordinat. nu. 11. Panormit. in dict. cap. *Dilectus*,
quem cum Innocentio, Bonifacio, & aliis refert, &
quod hoc sequitur Couarruias supra numer. 4. &
Nauarrus dicto numer. 158. & eam tenuit Syluester
verb. *Interdictum*, i. s. 1. & verb. *Cessatio*, s. ultimo, &
Angelus ibidem. Quorum fundamentum est, quia
cessatio particularis non est interdictum particula-
re, & consequenter nullum interdictum est; sed in
iure tantum est cautum, vt, qui celebrat in loco in-
terdicto, irregularis fiat: ergo, qui celebrat in loco,
vbi est particularis cessatio, non est interdictus, ex
alio principio iuris, quod irregularitas non incurritur
nisi in casibus à iure expressis, iuxta cap. *Is qui*,
de Sentent. excommunicationis, in 6.

De cessatione autem generali non est ita concors
sententia nam Ioannes Andreas dicto cap. *Si Cano-*
nici, & ibi Innoc. Anchar. & alij, & Calder. tract. de
Interdicto docent, eum, qui celebrat tempore cessa-
tionis generalis, fieri irregularem; quamuis de particu-
lari aliter sentiant: Et hanc partem sequitur
Maiolus dicto cap. 20. citans Antoninum in tractatu
de Censuris, cap. 89. Idemque tenet in 3. p. tit. 26. cap. 3.
& Villadiego tractatu de Irregularitate, capit. de
Interdicto, in fine; & in hanc partem inclinat Cou-
arruias supra. Qui autem solum fundantur in æ-
quiparatione illa, inter cessationem generalem, &
interdictum generale, quæ fit in Clem. 1. de Senten-
tia excommunic. Quod fundamentum inefficax est;
vt ex supra dictis constat, quia ibi non æquiparan-
tur eo quod cessatio sit interdictum; sed potius,
quia non est interdictum, ad illam facta est extensio
ex voluntate Pontificis. Rursus non æquiparantur
in omnibus, sed in obseruatione ibi statuta: ibi au-
tem non imponitur transgressoribus pena irregu-
laritatis, sed excommunicationis, quæ longe diuer-
sa est. Vnde is, qui celebrat in loco generaliter inter-
dicto, non fiet irregularis ex vi illius Clementinæ, si
alibi decretum non est: cum ergo de cessatione etiã
generalis alibi decretum non sit, nihil ex hac æquipa-
ratione concludi potest. Atque hoc videtur aduer-
tisse Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 3. numer. 38. *Palud.*
cum dixit, ibi æquiparata esse interdictum, & cessa-
tionem generalem quoad penam excommunica-
tionis ipso facto violentibus impositam; cum tamen
(inquit) olim contra cessationem faciens non fieret irregu-
laris. Quæ verba sunt æquiuoca; & ex eis posset quis
colligere olim quidem ita fuisse, nunc autem aliter
esse. Non est tamen hic sensus: sed, licet olim non
fuerint æquiparata in irregularitate, ibi simili pœ-
na excommunicationis puniri, seruata nihilomi-
nus antiqua dissimilitudine: Et sic verum est quod
idem autor subdit, sed circa cessationem solum hoc est in-
nouatum, & nihil aliud: non enim necesse est, vt, si duo
delicta in vna Lege habent aliquam penam com-
munem, ideo alia pœna in aliis legibus, imposita
vni ex illis delictis extendatur ad aliud.

Vnde dicta opinio non consequenter loquitur,
distinctionem quoad hoc faciens inter cessationem
particularem, & generalem: nam fundamentum il-
lud, quod irregularitas non incurritur nisi in casu-
bus à iure expressis, æque procedit in cessatione ge-
nerali, sicut in particulari, quia in neutra inuenitur
talis irregularitas in iure expressa. Quod si dicant,
satis esse quod sit expressa in interdicto generali, vt
ibi intelligatur inclusa generalis cessatio, idem dice-
re debent de cessatione particulari respectu interdi-
cti particularis, quod scilicet sub illo intelligatur
inclusa. Immo necesse est, vt dicant, etiam ante dictam
Clement. 1. de Sent. excommunicationis, fuisse cessa-
tionem generalem inclusam sub interdicto gene-
rali in antiquis iuribus, quoad hunc effectum: quia
si antea non includebatur, ex vi Clementinæ non
includitur, vt ostensum est: si autem includebatur, à
fortiori dicendum est, cessationem particularem
inclusam esse in interdicto particulari: nam, si ra-
tionem spectemus, est eadem cum proportionem. Si
autem spectemus ius, habemus aliquod fundamen-
tum huius inclusionis, quoad cessationem particu-
larem in dicto cap. *Dilectus*: quoad cessationem vero
generalem nullum est aliud: nam ex dicta Clemen-
tina nullum sumi potest, vt ostendi. Quapropter
magis consequenter de vtraque cessatione loquun-
tur negando hanc irregularitatem. Panormitanus,
& alij antiqui Canonistæ supra citati, quos sequun-
tur Syluest. & Nauarr. & Paludan. supra, & idem
sensit Sot. d. art. 6.

Vnum tamen mihi superest dubium circa funda-
mentum huius communis sententiæ ad vtramque
cessationem applicatum, nimirum, quod in iure nō
est irregularitas expressa contra celebrantes diuina
officia tempore cessationis. Nam, licet verum sit nō
esse expressam sub nomine cessationis: dici tamen
potest esse expressam sub nomine interdicti: & id sa-
tis esse quia cessatio est interdictum quoddam. Quan-
do enim in iure dicitur, irregularitatem nō incurri
nisi in casibus à iure expressis, nō est intelligendum
necessarium esse, vt sub specifico nomine exprima-
tur: sed satis est, quod sint expressi sub locutione ge-
nerali, seu indefinita, quæ illi æquiualeat. Nam etiã
non inuenitur in iure expressum, quod violans ce-
lebrando interdictum particulare locale, fiat irre-
gularis: sed solum quod celebrans in loco interdi-
cto, & hoc satis est, vt sub hoc genere comprehen-
dantur species: ergo similiter si cessatio (vt est pro-
babile) est species interdicti, illa sufficiens est in
iure expressa sub illo genere: ergo necesse est, vt dicti
autores ostendant cessationem non esse speciem in-
terdicti, quod ipsi non faciunt: imo potius id suppo-
nunt: Quia etiam Nauarr. ex hac differentia quod-

Palud.

io Prædicta sententia rescitur.

Excluditur casus.

Syluest. Nauarr. Paludan. Soto.

ii Dubium circa com- munis opi- nionis fun- damentum.

ad irregularitatem maxime probat cessationem non esse interdictum, in quo committitur circulus. Alij vero probant cessationem non esse interdictum, quia plures effectus habet, seu magis priuat seu cessare facit à diuinis officiis, ut patebit infra ex effectibus eius: quæ differentia videtur esse nimis accidentalis solumque probare cessationem esse quoddam maius, seu maximum interdictum.

22.
Responsio præcipua difficultatis.
Fateor quidem difficile esse aliquid in his omnibus cum solido fundamento affirmare, quia neque ex sola ratione sumi potest, neque in iure aliquid in hoc est sufficienter declaratum. Tamen cum in iuris intelligentia magnam auctoritatem habeant eius interpretes, ex communi eorum consensu accipimus, cessationem, & interdictum in iure ita esse diuersa, ut neutrum sub altero ex vi, & proprietate verborum comprehendatur, nec tanquam equalia, nec tanquam inferius sub superiore. Quod principium (mea sententia) non parum efficaciter probat textus in tacta Clement. 1. de Sententia excommunicationis, ut supra est à nobis consideratum. Præterea ad hoc principium probandum optima est coniectura, quæ Nauarrus utitur: quia, cum conceditur privilegium ad audiendam Missam tempore interdicti, non intelligitur concessum ad illam audiendam tempore cessationis à diuinis, ut constat ex cõmuni omnium intelligentia, & infra etiam dicemus non omnia, quæ nunc sunt concessa per capit. Alma, tempore interdicti, extendi ad cessationem à diuinis. Item è contrario aliquis potest interdum cessationem præcipere, qui non potest interdictum ponere, ut notat Glossa 2. in dict. capit. Si Canonici, de Offic. ordinat. in 6. vnde Privilegium ad ponendam cessationem, per se non extenditur ad ponendum interdictum: sunt ergo hæc in rigore iuris ita diuersa, ut vnum sub alio non comprehendatur. Neque contra hoc obstat modus loquendi dict. capit. Dilecti: quia maius pondus habet communis vñs totius iuris; & quia ut iam diximus, sæpe verbum interdicti, aut interdicti, generatim sumitur pro quacunque prohibitione: potuit ergo in illo textu ita accipi vel certe, cum tempore interdicti suo modo à diuinis cessetur, intelligere possumus, de sola cessatione accommodata ad interdictum ibi esse sermonem. Ex hoc autem à principio in iure fundata, optime colligitur discrimen paulo antea positum quoad irregularitatem transgressoris, manetque solidum illud fundamentum, quod talis irregularitas quoad cessationem à diuinis non est expressa in iure: quia sit alicubi, maxime ubi fertur de interdicto, non autem ibi, quia cessatio sub interdicto non intelligitur. Nam si in fauoribus, & privilegiis non admittitur hæc extensio, multo minus in pœna, & rigore admittenda est.

Nauarr.

Glossa.

*Sacristia-
rioni supra
posita.*

23.
*Cessatio ab
interdicto
essentially
discrimine
differt.*

*Occurrit
obiciendi.*

Rursus vero à posteriori ex hoc effectu infero, cessationem non solum nomine, sed re ipsa, & essentiali differentia differre ab interdicto. Quia ex effectibus optime causas distinguimus. Item, quia cessatio non interdicat personam, ut per se notum est quia non fertur simpliciter in personam, ut supra dixi, & statim amplius exponetur: nec etiam interdicat locum, si proprie de interdicto loquamur, alias, qui celebraret ibi, fieret irregularis tanquam celebrans in loco interdicto. Vnde ita potest explicari hæc differentia, quod interdictum locale videtur esse veluti quædam affectio ipsius loci, quem inhabilem reddit ad diuina officia sic in eo celebranda, & ideo cautum est, ut irregularis fiat, qui in eo contra ius celebrat; cessatio autem non est affectio loci, sed simplex quædam prohibitio ipsius ministris Ecclesiæ facta respectu talis loci. Dices, Ergo solum ministri, vel incolæ illius loci tenebuntur abstinere à diuinis in illo loco, non vero exteri, quia personalis prohibitio non extenditur ad ipsos, & alias locus non est interdictus. Respondetur negando seque-

lam: falsum est enim prohibitionem personalem non posse extendi ad ipsos, ut existentes, & operantes in tali territorio, aut plebe: nam, si quis tenetur seruare consuetudinem loci, in quo existit, tenebitur etiam seruare præcepta, quæ pro tali loco posita sunt. Et in hoc sensu intelligo potuisse dici à Panormitano, interdictum esse quid iuris, cessationem autem quid facti; non quod cessatio ante actuale cessationem, quæ ad factum pertinet, non imponat vinculum, & obligationem cessandi, id enim aperte, falsum est, ut supra probaui; sed quod cessatio solum inducat prohibitionem huius facti, seu omissionis, nulloque alios iuris effectus inducat vi sua. Interdictum autem inducit iuris effectus, ut sunt irregularitas, & alij similes. Et hanc interpretationem notauit Couarruias supra num. 1. Rursus hinc colligo, intensius, ut sic dicam, maius vinculum esse interdictum, quam cessationem à diuinis: quando quidem maiori pœna illius transgressio punitur, quamvis extensius quoad aliquos effectus excedat cessationem, propter quod sæpe adiungitur interdicto, ut infra videbimus.

Tandem ex his concludo, cessationem non esse speciem censure, sed simplicem prohibitionem. Hæc sequitur ex dictis, tum quia offensum est non esse interdictum, tum quia declaratum est non habere effectum irregularitatis, licet violeetur celebrando, qui est inseparabilis à censura. Et per hunc effectum optime explicatur differentia inter generalem prohibitionem & censuram, quam indicant Innocentius, Cardinalis Zabarella, & Speculator, quos refert & sequitur Maiolus supra numer. 10. Confirmatur à simili: nam hæc ratione celebrans in Ecclesia violata per sanguinis effusionem, non fit irregularis, quia illa non est censura, sed quædam loci irregularitas, vel nuda prohibitio, ut notauit Innocentius in cap. vltim. de Excess. Prælat. num. 7. Et è conuerso, ex carentia illius effectus optime inferitur illam non esse censuram. Similes sunt prohibitiones celebrandi in aliqua Ecclesia, quæ sunt in cap. 1. & 2. de iure patronatus. Similiter licet Prælatum simpliciter prohibeat aliquem celebrare, vel confessiones audire, non statim censetur suspensionis censuram ferre, cuius signum à posteriori est, quia subditus contra voluntatem superioris celebrando quæuis peccet, non tamen semper fit irregularis: ergo est distinctio inter simplicem prohibitionem, & censuram. Quæ in hoc consistit, quod simplex prohibitio non inducit illos proprios effectus iuris, quos inducit censura, propter quod censura existimatur veluti quædam moralis affectio iuris, tales habens effectus, quæ inest personæ, quæ propterea secundum lam deferret etiam extra territorium imponentis: simplex autem prohibitio est solum præceptum quoddam extrinsecum, quod suis terminis concluditur. Quæ omnia recte accommodantur cessationi ut simplex prohibitio dicatur, & non censura. Ac tandem censura per se, ac formaliter est pœna; simplex autem prohibitio, per se ac formaliter nec includit, nec requirit rationem pœnæ: quia ad illam sufficit ratio præcepti. Vnde nec cessatio à diuinis per se ac directe pœna est: quia licet, nunquam ponatur nisi occasione culpæ: tamen, cum æque comprehendat innocentes, ac nocentes quoad proximam obligationem suam, magis poni videtur ut signum afflictionis Ecclesiæ, & ut generale quoddam grauamen, per modum cuiusdam præcepti impositum, quam per modum pœnæ, quamuis inde etiam resulter aliqua pœna in personas culpabiles. Vnde insurgit alia consideratio, nam interdictum licet locale sit, semper specialiter; ac principaliter afficit personas, quæ interdicto causam dederunt, ideoque illas ubique arcet à diuinis, & pro illis privilegia non valent: At vero cessatio non ligat speciali modo personas, quæ causam dederunt, nec illas excludit

excludit ubique à diuinis quantum est ex se: ergo signum est non esse interdictum, nec censuram, nam hæc semper fertius ligat eos qui causam dederunt, quam innocentes.

Et per hæc tandem responsum est sufficienter ad fundamentum contrariæ sententiæ: facile enim est ex dictis cessationem excludere à definitione censuræ supra data, vel quia formaliter non est pœna, sed prohibitio simplex, vel quia non est propria priuatio spiritualium bonorum moraliter efficiens subiectum modo supra explicato, sed extrinseca tantum prohibitio. Denique argumentum illud à definitione parum virget, quia huiusmodi definitiones non sunt, vel per se notæ, vel communi consensu constantes: unde facile potuissimus particulam aliquam addere, per quam expressius excluderetur cessatio; propter vitandam tamen prolixitatem definitionis id omisimus, & in hunc locum explicandum remisimus.

SECTO II.

Quos effectus habeat cessatio à diuinis.

Actenus solum explicauimus commune rationem, & quasi genus huius vinculi. Nunc specifica ratio eius explicanda est, quod optime fiet in ordine ad effectus, sicut in censuris fecimus; quia in hoc similitudinem habet cessatio cum censuris. Possumus autem duos ordines effectuum hic distinguere. Primus est proximus, & immediatus, qui est priuatio diuinorum, quam ipsum nomen cessationis à diuinis præ se fert. Secundus est medius, & remotus; qui est pœna, quam incurrant, qui non cessant à diuinis eo tempore prohibito. Præterea aduertendum est in primo ordine effectuum sub nomine diuinorum comprehendit tria illa, quæ de interdicto declarauimus, scilicet diuina officia, sub quibus & Missæ celebratio, & horarum canonicarum publica recitatio, & omnes alie solennes benedictiones, vel ceremonie, quæ in Ecclesia fiunt, continentur, item & sacramenta, & Ecclesiastica sepultura.

De priuatione diuinorum officiorum.

Quod ergo ad diuina officia spectat, generalis omnium priuatio per hanc prohibitionem imponitur, vt verba ipsa cessationis à diuinis præ se ferunt, & Doctores interpretantur, & quotidianus Ecclesiæ vsus. Intelligendum autem est de publicis officiis, & orationibus Ecclesiæ: nam priuata orationes, etiam in templis, non sunt prohibita ex vi huius præcepti, & ideo dicitur hæc cessatio ministrorum, seu organorum Ecclesiæ. Imo in his nunquam censentur prohibita horæ canonicæ priuatum dictæ, etiã quatenus à personis Ecclesiasticis ex obligatione, & ex officio dicuntur: nam, licet ab ipsis dicantur, vt à ministris Ecclesiæ, & nomine eius, semper tamen computatur quoad hoc inter orationes priuatas, suntque veluti intrinsecum, & priuatum onus ministrorum Ecclesiæ, quo nunquam liberantur propter censuras, vel similes priuationes, sed solum publica recitatione. Quamuis autem hæc cessatio dicatur priuatio ministrorum, tamen non solum illi prohibentur celebrare, aut dicere hæc officia, sed etiam laici prohibentur ea audire etiam si in tali loco fiant: quanquam enim non tam directe pertineat hæc prohibitio ad illos, sicut ad Ecclesiæ ministros, tamen consequenter ad eos deriuatur, tum quia, si celebratio prohibetur, etiam participatio celebrationis, quæ est veluti quid accessorium, quod principale comitatur: tum etiam, quia illa cessatio simpliciter ponitur pro toto populo; explicatur autem.

Et Suarez tom. 5.

Atem specialiter ministris, quia ad illos pertinet hoc ministerium, & illis cessantibus, alios etiam cessare necesse est. Tamen si illi cessare nolint, etiam iniunctum & contra præceptum, reliqui tenebuntur eos vitare in diuinis, seu non adesse, non solum quia tenentur non consentire, & suo modo cooperari prauitati, sed etiam, quia per se illos comprehendit prohibitio. Vnde, etiam si aliquis sacerdos ex privilegio celebret tempore cessationis, alij nullo fruente privilegio non possunt sacrificio eius interesse, vt constat ex communi vsu, & praxi Ecclesiæ. Atque in his videntur Doctores conuenire.

Dubitant tamen, an huic generali prohibitioni moderatio aliqua in iure adhibita sit. Et, quoniam sub nomine cessationis nulla in iure inuenitur, dubitari solum potest, an illa, quæ facta sunt circa interdictum generale, vel iure antiquo cap. Quod in te, de Pœnit. & remiss. vel iure nouo cap. Alma. Quidam sentiunt concessione cap. Quod in te, ex tunc habuisse locum in cessatione à diuinis, ita, vt, illa non obstante, possint clerici in conuentualibus Ecclesijs bini & bini horas canonicas submissa voce recitare, ianuus clausis, & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis, hoc indicat Soto d. 22. quæst. 3. artic. 1. post quartam conclusionem quatenus ait, olim in hac priuatione diuinorum officiorum nullam fuisse differentiam inter cessationem, & interdictum, & Couarr. in cap. Alma, p. 2. §. 4. num. 7. verlic. Hinc patet, docet, decisionem illam cap. Quod in te, extendi ad cessationem à diuinis, quod tamen nulla ratione confirmat, sed illud infert ex eo, quod dixerat aliam concessione ibi factam circa vsum sacramentorum tempore interdicti extendi ad cessationem, quod eandem habet difficultatem infra examinandam.

Atque hinc vterius concludi videtur, etiam nouam concessione cap. Alma, extendendam esse ad cessationem à diuinis, quia quoad hoc non est maior ratio de intelligentia veteris, quam noui iuris. Nam vel cessatio æquiparatur interdicto in his effectibus, & propterea sub interdicto in his concessionibus comprehenditur, vel non; si primum tam in noua, quam in veteri concessione comprehenditur; si secundum, in neutra. Quod autem primum sit dicendum ratio suadere videtur, quam tangit Pontifex in dict. cap. Alma, vbi ex eo quod in loco interdicti nulla celebrentur diuina officia, magna sequitur incommoda, quæ ibi numerat, ait oportum fuisse illam amplificationem facere: ergo tota ratio illius legis fuit propter incommoda celandi à diuinis: ergo multo magis procedit eadem lex in ipsa cessatione: quia ex paritate rationis optimum fit argumentum in materia fauorabili, præsertim si fauor ad commune bonum, & spirituale pertineat, vt Canonistæ frequenter docent in cap. Ex tenore. Qui filij sint legitimi, & plures alij, quos Couarr. refert. Qui maxime hoc procedere dicunt, quando ratio est in ipsa lege expressa.

E Accedit, hic non solum esse æqualem rationem, sed maiorem: quia interdictum, vt supra dicebamus, maiorem obligationem inducit, estque propria censura: si ergo illud temperatum est, multo magis cessatio. Quam rationem indicauit Palud. tenens hanc sententiam 4. dist. 18. quæst. 8. art. 3. numer. 38. & Nauarr. in Sum. ca. 27. num. 189. & Villadiego de Irregularitate c. de Interdicto, & pro eadem citat Couarr. Ioannem de Friburgo in Summa Confessorum libr. 2. titul. 33. quæst. 221. Sed ibi non loquitur de constitutione cap. Alma, Sed ait, quando ex consuetudine quarundam Ecclesiarum cessatur à diuinis propter aliquam iniuriam Ecclesiæ factam, suspēdi quidem organa ministrorum Ecclesiæ & sonitum campanarum: & nihilominus presbyteros cum Canonicis in Ecclesia submissa voce celebrare diuina officia, & fere omnia alia expedire sicut prius.

Etc 3

Quod

An circa hanc prohibitionem moderatio aliqua in iure sit.

Ca. Quod in te, de Pœnit. & remiss. 1. Sent.

Soto.

Couarr.

Corollarium huius sent.

Palud. Nauarr. Villadiego. Couarr.